

V c
3111



Ph. 27,



PANEGYRICUS,
IN ELECTO-
RATVM ET NATALEM
SERENISSIMI AC POTENTISSI-
MI PRINCIPIS D. D. CHRISTIANI II. S. ROM. IMP.
Archimarschalli & Ensisferis: Ducis Saxoniae, Marchionis
Misniae, Landgrafij Thuringiae, Magdeburgi Burggra-
fij, Principis Hennebergensis, &c. XXIII D. Se-
ptembris, ANNO MD. CI. OCTODECENNIS
& Electoris felicissime facti.

*Pia ac debita acclamationis ergo conscriptus
ab Ipsius Illustrissima Celsitudinis
subdito humilimo*

MATTHIA HOE, AVSTRIACO,
S. Theologiae Candidato.

*Additus est Catalogus Electorum Saxoniae, ex Marchionum Mis-
nicorum familia; à Friderico bellicoso usque ad
CHRISTIANVM II.*

WITEBERGAE,
Typis M. Georgij Mulleri,
ANNO M. D. CI.



BIBLIOTHECA
POMICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



SERENISSIMO AC
POTENTISSIMO PRINCIPI,
AC DOMINO, DOMINO CHRISTIANO II,
S. Romani Imperij Archimarschallo & Electo-
ri, Duci Saxonie, Landgravio Thuringia, Mar-
chioni Misnia, Burggravio Magdeburgensi,
Principi Hennebergensi, Domino
meo Clementissimo.



Serenissime ELECTOR, Princeps Po-
tentissime, Domine Clementissime; E-
legans est illud Demetrii diverbium,
Principem non ideo creatum, ut lædat,
sed ut juvet. Ille enim tutus Rex est, qui
subditis suis imperat, non ut Tyranni
mancipijs, sed ut Parentes filijs, si Alexandro credi-
mus. Credere autem ei, non tantum sacrarum litera-
rum monumenta contestantia, urgent, sed & ipsa na-
tura inculcat, In Principe videlicet, non populi destru-
ctionem, sed conservationem; in Principe, non sævi-
tiam, sed clementissimã Clementiam sperari. Id quod
non ineptè, in Apam Rege præfiguratum est. Uti enim
ille solus, quantumvis & corpore grandior, & specie
præ reliquis decentior, non habet aculeum, aut si ha-
bet, eo non uti scriptitatur. Ita & populi Regem, ac
Principem, clementissimum esse, aculei q; ac indigna-
tionis severitate, vel carere, vel se abdicare, est æquis-
simum. Bonus enim Princeps, nihil à bono Patre dif-
fert, uti ELECTOR FRIDERICUS III,

Augustissimæ recordationis, dictitare cōsuevit: Quod dum ita ad V. Serenissimam Celsitudinem perscribo, initiò solenniter protestor, id à me non instructionis, sed mei ipsius consolationis causâ fieri. Postquam enim Divinâ favente Gratiâ, saluberrimus hic eventus contigit, ut V. Celsit: Illustrissimam totus orbis Christianus S. Romani Imperij Electorem & Laudatissimū Principem salutet: protinus ego hoc solatij mihi arripio: Serenissimus Elector CHRISTIANUS II Princeps terræ est: Terræ ergò Pater est; Patriæ ergò patronus est, justorum ergò est amator, inopum sublevator, pauperum adjutor, supplicantium Auditor & clementissimus Fautor: mox addo, tuus ergò (Autor) tuus quoq; Princeps est, tuus Magistratus, non tyrannicâ inclementiâ, sed paternâ benevolentiam conspicuus. Dumq; hæc ita mecum meditari soleo, non possum non singularem fiduciam erga V. Serenissimam Celsitudinem concipere, meq; V. Celsit: Illustrissimæ humilimum subditum supplicem sistere. Quâ in parte ut V. Celsit: Illustrissima clementissimè me audire, auditum juvare velit, subjectissimo animo à V. Celsit: Illustrissima peto.

Vsque hūc per annos aliquot, Princeps serenissime, vixi in Academiâ V. Celsit: illustrissimâ, quam Antichristi revelatione, Christi restitutione, alijsq; miraculis eximijs Deus hac postremâ ætate nobilitavit, Witebergensem dico, Matrem meam in Christo Iesu sincerissimam. Vixi hūc non ocij sed studij causâ Theologici, ad quod animum applicare, cœlestis providentia, & Parentis mei, viri quondâ apud Austriacos verè Nobilis, & Consiliarij Archiducalis, beatæ memoriæ, pia prudentia, non sine propriâ meâ consensione & electione, impulerunt. Huic meæ demandatæ provincie quam præfuerim, ipsum me prædicare, modestiæ
sanctitas

sanctitas non permittit. Interim illud V. Celsit: indicare non prohibeor; superioribus mensibus, me à Reverendâ Facultate Theologicâ in Academia Wtebergensi, consentientibus cum Matre superstite (& utinâ diu superstite) cognatis & agnatis honoratissimis, gradum & honorem laureæ Doctoralis in Theologia debito cum observantiæ studio petijisse: Quem tantum abest, quod Theologi V. Illustrissimæ Celsitudinis Præceptores, quasi Parentes mei, mihi denegarint; ut tantum non plus ultrâ benevolentissimâ benevolentiam in impertiendis honoribus declarârint, utut morula aliqua certis & gravibus de causis intervenerit.

Cæterum, ELECTOR CHRISTIANISSIME, rebus ita se habentibus, pro sapientissima sapientia V. Celsitud: Illustrissima facile intelligit, me patriâ meâ exulem, & ob Tyrannidem Iesuitarû Romanensium quasi excommunicatû esse; ut, quia sacrosantum studium non tantum, Deo Fortunante, cœpi; sed & Divinâ gratia continuavi, in posterumq; amplius cum Deo & die tractare animatus sum, ut inquam iccirco non tantum à Matre mea dilectissima, sed & Cognatis & Agnatis universis non sine magno meo dispendio separatus & avulsus esse cogar. Quandoquidē verò V. Illustrissima Celsitudo ad Imperij gubernacula clementissima, gratiosissima, nunc evecta est; Ego ad V. Celsit. serenissimâ humilimâ mente confugio, ut pro singulari suâ clementiâ, erga omnes purioris doctrinæ asseclas, præcipuè ob religionē exules, V. Celsitudo serenissima clementissimo suo Patrocinio me quoq; fovere, & ne vitâ meâ misellè transigere, adeoq; Papistis materiâ mihi, meisq; consanguineis insultandi præbere necessû habeam, sua clementissimâ clementiâ, Principe dignâ, Electore dignâ, CHRISTIANO II dignissimâ, mihi providere non dedignetur.

Offero me V. Celsitudini Illustrissimæ subditum
& Clientem, si velit, ad perpetua servitia devinctissi-
mum. Offero V. Celsit: Illustrissimæ preces meas piè
humilimas, pro V. Celsit: Illustrissimæ salute & incolu-
mitate perpetua: Offero tandem Panegyrii istam pro
fausta acclamatione, V. Celsit: serenissimæ novi Im-
perij Electoralis factam & conscriptam, quam ut V.
Celsitudo clementissimè suscipiat, meq; gratiosissimè
commendatum SIBI habeat, devotè oro. Sed Tu
Illustrissime Princeps, me devotum exaudi, me clien-
tem fove, subdito humilimo fave;

*Tuq; geras nomen Patris, Tu consule cunctis,
Nec tibi, nec tua te moveant, sed publica vota.*

Auxilium V. Celsitud: Illustris: suo tempore ex-
pecto, eandemq; protectioni summi coelo terraq; Mo-
narchæ, Præpotentissimi Dei, subjectissimè commen-
do. Dedi Witebergæ die 23 Septembris, quo ante
annos octodecim hora 4 matutina V. Electoralis Cel-
situdo Dresdæ felicissimè nata est, qui ut V. Celsit: Se-
renis: & jam prosperrimus & longa reversionis serie
faustissimus eveniat, humilimè precor; Anno 1601,

*Vestra Illustrissimæ
Celsitudinis*

Servus

humilimus

Matthias Hoë, Austriacus, S. Theo-
logiæ Candidatus.

P A N E G Y R I S ;
I N E L E C T O R A T V M S E R E N I S S I -
M I P R I N C I P I S A C D O M I N I , D . C H R I S T I A -
N I I I , E L E C T O R I S S A X O N I Æ X X I I I
D . V I I B R I S F A C T I .

H *U*bi complura sunt insignia diuinæ mise-
ricordiæ beneficia, Principes Serenissimi,
Barones Illustres, viri Nobilissimi,
Magnifici, Reverendi, Clarissimi, Amplissimi,
Lectores universi cæteri benevolentissimi, omni-
um ordinum ornatissimi, etsi, inquam, complura
sunt insignia diuinæ misericordiæ beneficia, quæ
non hanc tantum Academiam VVitebergensem,
sed & universam terram Saxoniam præclarè no-
bilitarunt, adeoq; gratitudinem & nominis sacro-
sancti celebrationē meruerunt: illud tamen cum-
primis mihi considerandum venit, quòd præpoten-
tissimus D E U S continuam Principum nostrorū
Clementissimorum seriem multis abhinc seculis
conseruare, Imperijq; Electoralis fasces ad hodi-
ernum usq; diem ijs porrigere non dedignatus est.
Recentissimum, & quod in omnium ore nunc ver-
satur, propono hujus rei testimonium in serenissi-
mo Principe ac Domino, Domino C H R I S T I A -
N O I I O c t o d e c e n n i , & Electore Saxonie nuper
felicissi-

23. d. Sept.
hor. 4. ma-
tut. Anno
1601.

1. Reg. 1.
v. 39.

felicissimè factò, Domino nostro Clementissimo;
Quid hìc, nisi præclara I E H O V A E in hanc fami-
liam caritas? quid hìc, nisi felicissimi fati vari-
tas conspicitur? quid hìc, nisi congratulationis &
applausus communis solennitas requiritur? Ni-
mirum Salomoni Regi unctò omnis acclamabat
populus: Vivat Rex Salomon: omnis tuba, omnis
Musicorum sonitus læticiæ signa proferebat: quid
nì ergò & nos exultemus? quid nì & nos jubila-
tionis seriæ quaecunq; $\sigma\upsilon\mu\beta\omicron\lambda\omicron\nu$ erigamus, nostroq;
Magistratui Incluto, Domino CHRISTIANO II,
ELECTORI Illustrissimo, de prosperà Regni in-
auguratione gratulemur? meretur hoc ipsa rei æ-
quitas; meretur hoc hominum cordatorum pietas;
meretur hoc ipsius cumprimis Principis E L E-
C T O R A L I S dignitas. Quanquam verò nemo no-
strum adeò est bardus, adeò barbarus, qui nõ exi-
mijis votis Electoralem inaugurationem prose-
quatur, qui non sincerà exultatione de Rege ter-
ræ, de Parente Patriæ, de Patrono Reipublicæ, de
Nutricio & Sustentatore veræ orthodoxæ Luthe-
ranæ Ecclesiæ affectus sit; adeoq; me juvene insti-
gatore minimè necessum habeat: interim tamen,
quin hac in parte, mihi, non vestrum ad læticiam
incita-

incitatori, sed quantulo quātulo, minimo Commi-
lioni oculos benevolos, aures patulas & placidas
mentem attentam prabituri sitis, minimè addu-
bitare possum: edam ego verbulis hisce meis, non
Academia VVitebergensis totius, (cujus alij in-
terpretes doctiores, clariores pro Suggestu, pro Ca-
thedrā auditi sunt) sed meae personae solius, tenuis,
exilis, tanquam subditi & clientis humilimi erga
Pientissimum & Clementissimū Magistratum,
devotam congratulationem, quae non ambitionis
cestro, non superbiae vitio, non peculiaris facundiae
somnia; sed intimae humilitatis declaranda studio
mihinata, & ex ELECTORATVS novi pra-
clarissima Dignitate inculcata est.

De hac ergo Dignissimā Dignitate non copio-
sa RERVM gravitate, sed humili gratulationis
pietate verba facere, de hac me παχυλῶς & crassio-
ri stylo differentem, à bonis benevolè, attentè per-
cipi, animitus cupio, nec verò de Humanissima
Humanitate omnium, sine perverso praesudicio sen-
tientium, ambigo, quin recto tramite ad scopum
propositum pergo, DEIQ, praepotentissimi auxili-
um & auspiciū in initio devotè imploro.

Splendidam, ELECTORATVS novi esse
B Praecl-

I.
Singula-
ris Dei
Provi-
dentia.

Pracellentiam, audire & legere facilius est, quam statim accuratè expendere. Magnificam autem non ex aliorum, sed propria meditationis testimonio deprehendet is, cui singularis in mente versatur hoc in negotio DEI PROVIDENTIA. Epicuræum est, Regni constitutiones cæcæ & fortunæ, vel dubijs casibus ascribere: profanum est, à sola hominum, quantumvis augustissimorū, multitudine, fascium traditionem suspendere. At à IEHOVÆ præpotentissimi nutu & arbitrio, non solum pietatis, sed & honorificentissimæ laudis est. Huic ergo Domino DEO nostro, Regi Regum & Domino dominantium, benignissimè placuit, Principem CHRISTIANVM II, fieri Saxonie ELECTOREM Illustrissimum; non aliter, quàm olim Saul ob hanc ipsam cælestem providentiam unctus Domini; David, Rex beneplaciti divini; Salomon, cælestis arbitrij Imperator, fuerunt.

Quæ enim potestas est supereminens, quæ Rom. 13. non oriatur à Domino? inquit Apostolus. Utiq; DEVS est solus, qui Regna dat, & Regna adimit: utique excelsus est, qui dominatur in Regno hominum, & cuicumque voluerit, illud Dan. 4. v. 14. tribuit,

tribuit; *Qui sanguinis effusi vindictam precipit;* Gen. 9. v. 6.
Qui furtorum pœnas à Dijs, hoc est, Principi- Exo. 22. v. 8.
bus corrigendas; blasphemias iudicis autoritate Levit. 24.
puniendas mandavit; v. 14.
Qui Principes Deos con- Psal. 82. v. 7.
stituit, Iosua, gubernamentum populi concessit; Ioh. 10. v. 35.
Judices salvatores excitavit: Saulem per Sa- Iosuae 1. v. 10.
muelem Regem inunxit; Davidi sceptrum mira- & seqq.
culosè commendavit; ejusdem Imperium ad Sa- Iud. 2. v. 16.
lomonem transtulit, Quis ille est, nisi Deus 1. Reg. 10.
omnipotens? nisi Dominus Iehova? quis ille est, 1. Reg. 16.
nisi cœlestis Sapiencia, Dominus noster IES- 3. Reg. 1.
SVS CHRISTVS, per quem Reges re-
gnant, & legum conditores justa decernunt;
per quem Principes imperant, & potentes ju- Proverb. 8.
sticiam exercent. Sub auspicijs ergo Sacrosan- v. 15.
ctæ Trinitatis, PATRIS, FILII, & SPI-
RITVS SANCTI, ut Reges & Domini alij,
ita & noster ELECTOR, noster Princeps Cle-
mentissimus Regiminis publici potestatem asse-
cutus est: quod nisi Magnificum ELECTO-
RATUI novo ornamentum addit, quid est, quod
splendorem parere potest? Enimverò singularem
hanc DEI Providentiam accuratiùs examinans,

non possum non erumpere, & ad DEVM intona-
re: Benedictus es Domine DEVS Zebaoth, mi-
sericordes sunt omnes viae tuae: benedicat tibi ani-
ma mea Domine, qui iusticiae Propugnatorem,
Nominis tui Cultorem, Ecclesiae afflictæ defenso-
rem, CHRISTIANVM II, Christianissimum
ELECTOREM elegisti; dignum opus hoc tuâ
misericordiâ, dignum nostrâ miseriâ, dignum Ele-
ctoralis Regni dignitate perpetuâ.

II.
Vetusta
Impera-
torû cle-
mentia.

Bellarmin.
Tom. 1. con-
trov. lib. 3.
de Transl:
Rom. Impe-
rij à Græcis
ad Francos,
cap. 3. foliis
mihi 1241.
1242. &c.
edit, in folio.

Primus hic est Electoralis dignitatis titulus,
cui nihil splendoris detrahit, magis autem orna-
menti magnificentiam addit, vetusta Imperatorum
clementia, quâ ut Principes alij, ita & Saxones
suo tempore in Septemviros S. Romani Imperij
adsciti sunt: id quod vel cum Iordano historico
Carolus Magnus Imperatorem, vel cum alijs
viris doctis Othonem instituisse credimus. Quod
enim Romanæ Thardis adulator Robertus Bel-
larminus Electorum ordinationem Papæ Grego-
rio V. assignat, in eo nihil, nisi Pontificum Roma-
norum extremam violentiam, & incompetentem
tyrannidem manifestat; ne dicam, quod nullo ar-
gumento apodictico suam sententiam confirmat.
Nam quod congeriem Romanorum Pontificum,
vel

vel adulatorum Papisticorum cumulat, qui Ele-
ctoralis dignitatis ordinationē Papæ attribuunt,
in eo suā sapienti prudentiā, & Cardinalitiā scien-
tiā indignum quid facit, quippe qui testes domesti-
cos in propriā causā vel parum, vel nihil omnino
valere, novisse debebat, praesertim, cum, ut maxi-
mè per hypothesein & ^{in registoria} dando ita res se ha-
beret, Pontificem quendā hunc Augustum Ordi-
nem introduxisse, illud magis Pontificia autorita-
ti dedecus, quàm honorem accersere soleat, quòd
inde factum Papæ indecens, impudens, ambitio-
sum, violentum, injustum, contra omnia jura di-
vina & humana vel à trimulo & quadrimulo
agnoscatur. Quantum enim sui jus ad amara-
cum, tantum Papæ ad Imperij Romani politicam
ordinationem: Regum est dominari, non Pontifi-
cum, Luc. 22. Verum, nunquā hoc concesserimus
ulli, vel ELECTORES priores, vel nostrum re-
centem ELECTOREM Serenissimum, diadema
hoc suum Electorale ex fundatione Paparum ac-
cepisse: quin potius habet, quod habet, ex Priscā
Imperatorum Clementiā, quos uti à Papā, ante
aliquot secula, sanè coronatos & confirmatos, idq;
ipsum de facto, non de jure; à populo verò, Senatuq;
B 3 Romano

Buchol-
cerus in
Chronol.
pag. mihi
426, edit.
in 8vo.

Romano prius creatos legimus; ita ex plenaria
sua potestate ordinem ELECTORVM instituis-
se, & jure instituere potuisse, merito credimus:
quamvis, quin aliqua à Romanis Episcopis con-
sensus, sic ferente temporum illorum superstiosa
injuria, requisita sit, minimè inficias imus. Inte-
rim quoque novimus, in locum Anhaltinae fami-
liae, cum Marchiones Misniae in Electoratu sub-
stituerentur, & Fridericus bellicosus, Dux Saxo-
niae, Marchio Misniae, Landgrafius Thuringiae,
primus in hac Gente Marchionum Misnicorum
Electo crearetur, id Casaria, & totius S. Roma-
ni Imperij voto, omissò calculo decisivo Praesulis
Romani factitatum esse.

Vt itaq; noster ELECTOR Augustissimus suae
ELECTORAE CONFIRMATIONEM à
Rhadamanto Romano expetat, id nec utile, nec
justum, nec necessarium venit. Excussit jugum à
collo suo Incluta Familia Saxonica, & quod Papa
jus hoc habere non debeat, infantuli nostri hisce in
terris conjectare possunt. HEREDITATIS er-
gò jure, secundum auream bullam Caroli Quarti
Imperatoris, & accedente Caesaris invictissimi
RODOLPHI II approbatione clementissima,
CHRI-

CHRISTIANVS II, inter Illustrissimos Fratres,
Saxoniae Duces, Illustrissimi Principis ac Domini,
Domini CHRISTIANI I, Saxoniae ELECTO-
RIS laudatissimae recordationis, relictos Filios, Pri-
mogenitus, ELECTOR Saxoniae nuper inaugura-
tus est. Armorum strepitu Cyrus, Alexander, Iu-
lius, alijq³, summa tenuerunt Imperia. At quan-
to pax est bello preciosior, tantò digniori & augu-
stiori modo noster ELECTOR regni sui Sceptris po-
titus est, sine vi, sine armis, sine furore, sine cruce-
re, justè, moderatè, pacificè, tempestivè. O Angu-
stum ELECTORIS novi secundum encomiũ: *Vio-* Seneca.
lenta nemo Imperia continuit diu; iniqua nunquã
regna perpetuo manent: quid ex sanguinis humani
profusione, quid ex Papistica adulatione, quid ex
tyrannica irruptione laudis emergeret? Enimverò
quò vita, pax, tranquillitas nobilior; quò sinceritas
et justa Pontificia tyrannidis excussio tutior; quò
legitima adeptio splendidior, eò Electoratus novi
dignitas sublimior evehitur, amplior conservatur,
stabilior efficitur, felicior predicatur. Quid super-
est, quàm hic ad invictissimũ Imperatorem Di-
vum RODOLPHVM ingeminare: O RODOL-
PHE, Caesar ter Maxime, ter Clementissime,
quàm excelsa tua in ELECTORE nostro,
promptè

promptè confirmando Clementia ! quam sapiens
tua Prudentia ? nimirum sic Pacem turbis , sic a-
micitiam mutuam dissidijs , sic utilitatem damno,
sic bonum malo præferre novisti. Dignum opus
hoc Casarèà Magnificentia, dignum augustissima
benevolentia, dignissimum Imperatoria sapientia.
Donec erit Saxo, donec terra ista vigebit,
Cæsaris eximium factum, nomenq; manebit.

III.
Familia
Saxonice
Præcel-
lencia.

Ceterum aliud adhuc restat, quòd Majesta-
tem Magnificam ELECTORATVS novi am-
pliet, omniumq; cordatorum calculo in excelsissi-
mo laudis apice reponat: Ipsius videlicet Familia
Saxonice Præcellentia. Saxonia enim Dux ELE-
CTOR creatur. Saxoniam autem cum dico, pro-
tinus Illustrissimam & Serenissimam gentem &
mentem insinuo. Si quidem Proavorum Clari-
tas, Fortitudinis bellicæ raritas ad Magnificum
Prosapia nomen prodest, Saxonia, si non alijs su-
perior, par profectò accensenda est. Nam ut tantò
gentis hujus Saxonice, quæ ad hodiernum usq; di-
em Electoratus honore potitur, eminentia fiat e-
videntior, non tantum Saxones, quos nunc vocant
inferiores, sublime nomen sibi vendicant, sed & su-
periores nostri, ex Marchionum Misnicorum
stirpe

stirpe oriundi, sua prosapia nobilissimam originem
 exhibere possunt: quippe, quòdeam ex vetustissi-
 ma **VITTIKINDI Magni, Saxonum &**
Angariorum Regis, Familia Saxonica, nusquam
 interrupto sanguinis ordine derivatam habent, id
 quod Spalatinum, & alios Historicos ostendere,
 Magnus ille Polyhistor David Chytraeus, beata
 memoria, affirmat. Qui idem Imperatores, Reges,
 & potentissimos Principes plurimos, haud vulga-
 ri conjunctione, quà sanguinem, quà affinitatem,
 Misnensibus Marchionibus addictissimos demon-
 strat. Illustrissimi ergo stemmatis Princeps,
ELECTOR, CHRISTIANVS II salutatur,
 qui prolixà serie summos in terra Christianà Mo-
 narchas, Reges & Principes, vel sanguinis vel
 affinitatis necessitudine sibi devinctos recensere po-
 test: ut jam omnes Græcorum Pelopidas, Cecropi-
 das, Alcmaones, Æacidas, Heraclidas; omnes
 Romanorum Fabios, Scipiones, Horatios, Lentu-
 los, minus splendoris, minus celebritatis habere ne-
 cessu sit: quia ijs genere non tantum simile, sed &
 superiorem Deus ter Maximus nobis concessit.

Saxoniæ hæc gens est explicata, non quantū li-
 buit, sed quantum & per institutū, et per temporis
 conditionē licuit.

C Men-

Elias Reuf-
 nerus in stir-
 pe VVitikin-
 deâ, stemma-
 te primo &
 2. & in parte
 residuâ, fol.
 272. usque
 ad 288.
 Part. 1.
 Chron. Sax.
 pag. 39. edit.
 in 8vo.
 Ibidem.

Præcel-
lencia
mentis.

David
Chytræus
in Chroni-
co Saxoni-
æ part. 1.
Edit. in
8^{vo}, pag.
39.

Mentem si spectes, non nisi magnam, non ni-
si excelsam & eximiam deprehendes. Etsi enim
negari non potest, aliquando turbulentiâ, aliquan-
do cœcitatem Ethnicam in ea viguisse: correctâ
tamen ista sunt, & quia correctâ, magnum splen-
doris incrementum merentur. Anno enim Chri-
sti 785 à bellis iniquis quiescunt, apostasiæ cul-
pam agnoscunt, veniam suppliciter à Carolo Ma-
gno petunt, & quod caput rei sacrosanctû Baptif-
mum unâ cum Vitikindo Duce suo in nomine
PATRIS, FILII & SPIRITVS SANCTI,
legitimè suscipiunt; Christianismi nomen ac pro-
fessionem suscipiunt, Ethnicamq; suam cœcita-
tem non sine serio cordis gemitu & dolore agno-
scunt. Quem ergo hodie ELECTOREM, quem
Magistratum nostrum habemus, hunc ex Chri-
stianâ prosapia oriundum indubitatè novimus;
hunc majores suos jactare Christianos posse perspi-
cuè intelligimus. Quid jam de alijs in hac Fa-
miliâ Ducibus & Principibus, qui ELECTO-
RATVM HVNC tanquam Avi, Proavi, Atavi,
incomparabiliter nobilitârunt, adq; summa hono-
rum fastigia extulerunt, ita ut sub Sole vivere gen-
tem beatiorē, vivere gentē mente clariorē, quàm
Saxo-

Saxonicam, nemo sine veritatis dispendio affirmare ausit. Beata gens est, teste Davide, cuius est ^{Psal. 33.} Dominus Deus ejus, populus quem elegit, hereditatem sibi. O beatam gentem Saxonicam, cui non unâ sed multiplici ratione Deus se propitium, benignum & misericordem exhibuit.

Hujus rei indicium præclarum illud est, quod sub Auspicijs Incluti Friderici Bellicosi, Primi Saxonie ELECTORIS, à Sigismundo Casare, ex ^{Anno Christi} 1423. Marchionibus Misniae creati, celeberrima illa ^{Anno Christi} 1409. Lipsensis Universitas instaurata est: in quâ omnium Facultatum lumina semper florere, et etiamnum hodie DEI beneficentiâ inveniendâ: in quâ privilegia ab Augustissimis Imperatoribus ordini Scholastico communicata, eminentissima, fundata sunt: ex quâ, tanquam Minervæ Gymnasio omnium disciplinarum studijs sinceriori etiam maximè Theologiâ, instructissimi Homines, prodire, suoq; in literis profectu, & exinde promanante auctoritatis resplendentia nomen ELECTORATUS Saxonici plurimum condecorare. Liceat mihi Te ex beata requie paululum revocare, ELECTOR FRIDERICE III Principes sapientissime: cui utique sacri Numinis aura aspiravit,

Anno
Christi
1502.

dum VVitebergensis hæc Academia introducta,
& splendidissimis D. Maximiliani I Imperato-
ris privilegijs confirmata est, ut hic Theologia sa-
crarium, Iustitiæ templum, Medelæ rosarium,
omnium literaturæ politioris studiorum emporiū
esset: ut hic Bibliorum interpretes, Iuris sacerdo-
tes, Medicinæ cultores, Philosophiæ Professores
reperirentur; unde Ecclesiæ plantari, Respublicæ
regi, vitæ hominum conservari, honestas ac honor
stabiliri queant. O VVitebergam vel solam di-
gnam, quæ ELECTORI nostro CHRISTIA-
NO, insigne ornamentum addat. O Fridericum
vel solum dignum, à quo præstantissima in Ele-
ctoratum Saxonicum Magnificentia redundare
queat. Fuit enim (ut Pegaviensis, ejus temporis
scriptoris, verbis utar) FRIDERICVS Dux
Saxonie, ELECTOR & ENSIFER Imperij,
juxta nomen suum dives amator Pacis, & Prin-
ceps prudentissimus, Sapientiæ domicilium, Con-
siliarum thesaurus, defensor legum, controversia-
rum finis, Imperij Romani Columnen, Munimen-
tum Patriæ, Morum speculum, decus Princi-
pum, & disciplina Ducum, quem ejusmodi vir-
tutibus ornatum, velut Parentem ac Numen,
cælitus

Chytræ-
us pag.
37 & 38.

caelitus demissum, plebs ipsa venerata est & dilexit.

Liceat mihi denuò TE revocare, Pientissime ELECTOR FRIDERICE, quem tam mitia fata prapotentis DEI tetigerunt, ut sub tuo Imperio magnū illud, & à multis seculis exoptatum opus Reformationis Papistica oriretur. TE Nutricio, Beatissime Princeps, sanctum & electissimum DEI organon, Reverendus in CHRISTO Pater, & Praeceptor Germaniæ D. Martinus Lutherus, quem sub rumore ab Aquilone Daniel, & sub persona Angeli per medium caeli ^{Dan. 12.} cum Euangelio aeterno volantis Iohannes Theo- ^{ApoC. 14.} logus, praedixerunt, VVitebergam vocatur; Te sustentatore, non modò puriorem Euangelij doctrinam instaurat, sed & eandem ab omnibus lacunis & tenebricosis erroribus Papistarum magno Zelo, magno ardore vindicat: Te patrono bellum Biblicum David noster inermis, Lutherus, toti mundo, ipsiq; adeò universo Clero Pontificio, Papa, Cardinalibus, Episcopis, Regibus & Principibus indicit, indictum animosè agit, felicissimè perficit. Quem Te dicam, ò ELECTOR sanctissime, IOHANNES? quàm beatum Te canam?

C 3

quod

quod Symbolum Ecclesiarum nostrarum, Augu-
stanam Confessionem Invictissimo Imperatori Car-
olo Quinto, cum presentissimo tui & tuorum pe-
riculo, obtulisti; eamq; non tantum ipse sinceram
approbasti, sed ad sanguinem usque, & ad ex-
tremum vitæ halitum defendere non recusasti?
Nisi hic Gentem Saxoniam mente præcellentem
universi Christiani agnoscitis, profectò spontè
cæci, ambitiosè fastuosi, & fastuosè ambitiosi
estis: sed neque spontè cæci, nec ambitiosè fastuo-
si, nec fastuosè ambitiosi estis, quia plurimi ve-
strum gentis eminentiam suscipitis; mentis Præ-
cellentiam suspicitis, beatitudinem E.LECTO-
RATVS SAXONIAE celebratis: quàm felicissi-
mè factum, ut animæ infinitorum hominum,
tenebris & caligine errorum obruta, plenis passi-
bus æterno cruciatui facta obvia, splendore lucis
Euangelicæ illustrarentur, & ex inferni anhe-
lanti præcipitio educta, ad vitæ æternæ latissi-
mam metam reducerentur. Quàm factum, ut
jam magno cum tripudio exultare, & contra
Apoc. 18. Cerberum illum Papalem jactare ausimus:
Cecidit, cecidit Babylon civitas magna, & fa-
cta est habitatio Demoniorum, & custodia
omnis

omnis spiritus immundi, & custodia omnis
volucris impura & odio digna, quia de vino
fornicationis ejus biberunt omnes gentes, & Re-
ges terra cum Babylonia illa meretrice forni-
cati sunt: ut jam verè Panegyricum istum Sa-
xonia intonare jus habeamus: Gaude, exul-
ta, Saxonia, quia venit lumen tuum, & glo-
ria Domini super te exorta est: quia ecce te-
nebra operiunt terram, & caligo populos: su-
per te autem oritur Dominus, & gloria ejus
in te videtur, & ambulant Gentes in lumine
tuo, & Reges in splendore ortus tui. Veri-
tas, Charissimi, non adulatio; publicus effectus,
non privatus affectus, hanc acclamationem
peperit, quae tanto Saxonia est accommodatior,
quanto ea benignitate Domini pra alijs Regnis
& Imperijs facta beatior. O summam hanc
ELECTORATUS Saxonia Praecellentiam! o
summam illam, quod uti candela ardens, pel-
lucida inclusa Laterna, seipsam Laternamq; con-
spicuum reddit: Ita quoque Lucerna splendidif-
simi Evangelij in Saxonia accensa, non modò
seipsam, sed universalem terram Saxoniam, to-
tumq; Electoratū coram omni populo & lingua
in orbe

Esa. 60.

in orbe Christiano illustravit. Ut si Regna spectes
in tota Anglià, Bohemià, Danià, Gallià, Hiber-
nià, Navarià, Norvegià, Polonià, Scotià, Swe-
tià, Ungarià, nihil, quàm Saxonicus Evangeli-
cus Electoratus sit decantatiùs: Si Principatus
videas, nihil apud Archiduces Austrios, Princi-
pes Palatinos, Brandeburgenses, Brunsvicesnes,
Anhaldinos, Pomeranos, Borussos, Marchio-
nes Badenses, Duces Bipontinos, Carinthios, Car-
niolos, Clevenfes, Croatas, Hassos, Holsatos,
Lituanos, Livonios, Lunaburgenses, Lusatos,
Merseburgenses, Misnenses, Montisbelgarden-
ses, & alios, præter ELECTORVM SAXO-
NVN nomen celebrius: Si Episcopatus, Comita-
tus, Baronatus, consideres, vix in ijs individuis
sub Sole vivit, quod non de Saxoniæ Electoribus
Christianissimis, & Evangelicæ doctrinæ defenso-
ribus constantissimis loqui soleat, & possit. Ut
præteream Respublicas celeberrimas, quarum fe-
rè integra Centuria à renascente Evangelio, non
tantùm perpetuam & solennem recollectionem Do-
mus Saxonicæ fovet, sed & beneficium Illumina-
tionis, quod beatè contigit, immortalis memoriæ
agnoscit. Adeo hic ELECTORATUS est Illu-
stris,

stris, ut truncus non homo, stupidus non sapiens,
ignavus, bardus & barbarus sit, qui hujus rei
cognitionem non habet. O ergo summam hanc
Electoꝝ Saxonie Præcellentiam! o summam
illam, quod ELECTORES nostri redaccensam
lucem Evangelij, ut Nutricij Ecclesie, suo Pa-
trocinio foverunt, nec eam extingui passi sunt:
sed incorrupta defensione, inimitabili & laudatif-
simo zelo, propagarunt. Non enim stipulas Pa-
pistarum ager tulit amplius Electoralis Saxoni-
cus: non tenebras Ægyptiacas toleravit amplius
mons Sionæ clarissimus: eradicatæ sunt, fugatæ,
pulsæ, velociter, feliciter: sed & cum ante annos
circiter triginta venenatum illud Sacramentaria
pestis toxicum has terras inficere, & inquinare
tentaret, Deum immortalem, quanto pietatis ze-
lo, quanto sanctitatis ardore Augustissimus E-
LECTOR AVGVSTVS, ELECTORIS no-
stri AVVS Beatissimus, adversus gangrenam il-
lam, omnis generis medicinas quæsiuit, petiuit,
adhibuit: præsertim dum vulpeculas Calvinia-
nas, PseudoLutheranos VVitebergenses, Cathe-
dræ, Academiæ, Terræ exire jussit, piè, justè, mo-
deratè, pro autoritate suâ politicâ pariter, &
D Eccle-

Ecclesiastica, utraq; legitimã. Utq; omnem mo-
dum suæ augustissimæ sanctitatis exhiberet, san-
ctissimum illud opus CONCORDIAE maximis
Anno 1580. cum sumtibus procuravit, instauravit, pro libro
Symbolico Ecclesijs ac Rebus publicis suis proposu-
it, approbationemq; ejus à præcipuis S. Romani
Imperij Proceribus, Principibus, Ducibus, Comi-
tibus, Baronibus, & Urbibus impetravit, hocq;
pacto animum suum Concordiæ amantissimum,
publicè declaravit. Quod καμῖλιον divinum, uti per
se est præstantissimum, & cui omnes sinceri Chri-
stiani ac puri Lutherani, manu, corde, & ore fide-
liter subscribant, dignissimum: ita quin Electo-
ratui Saxonie, non tantum in hac terra, sed &
in cælis præminentẽ laudis titulum repositurum
sit, quis nostrum est, qui addubitare vel halluci-
nari velit? O beatum te Augustum! ò beatum te
terra scutum! coram quo Dominus tam vehe-
menter elevatus, CHRISTI IESU persona, ma-
jestas, & infinita gloria asserta, contra heretico-
rum Calvinianorum blasphemias propugnata
est. Nimirum tu, Auguste, portas bipatentes
IESU CHRISTO Regi, in Regno tuo aperuisti:
tu Filium æternum osculis fidei & veritatis exce-
pisti.

Psal. 47.
v. 10.

Psal. 24.

Psal. 2.

pisti: tu eundem à subditis tuis coli, recipi, adora-
ri præcepisti, atque ita immortalẽ laudem toti
Saxoniæ præparasti. Iterum exclamo: O summã
hanc Electoratus præcellentiam! quam si à Ge-
nerosissimo & Serenissimo ELECTORE CHRIS-
TIANO I, Nostri ELECTORIS Parente
laudatissimo, Beata recordationis, imminutam
nonnulli Sacramentarij garrunt: ilicò se archi-
tectos mendacij, homines profanos, religionis sin-
cera irrisores, & Principum Evangelicorum fla-
gellatores ostendunt. Quid enim Animosissime
Heros CHRISTIANE, quid, inquam, Tu, si
vitam hanc vixisses diuturniorem? quid ad tech-
nas, ad fallacias, ad diabolicas fraudes Theologorũ
& Politicorum quorundã Calvinisticorũ dictãs
fes? Nonne exilium? nonne excidium? nonne sup-
plicium? quo utiq; multi digni, morte tuã præma-
turã, beatã evaserunt. Cui mens Principis illius
Laudatissimi penitiùs perspecta, Zelus, erga pu-
ram Lutheranam Evangelicam doctrinã ad ex-
tremum usq; vitæ, quem beatè exspiravit, hali-
tum, cognitus: cui Laudatissima Heroica ipsius
sinceritatis & incomparabilis candoris virtus,
quã coram mundo visendus erat, in recenti,

fideli, & candida, memoria versatur; is posthabito Sacramentariorum mendacium murmure, nolens volens fateri cogetur, si Heros ille Celsissimus paulò diutius vixisset, & accuratius deceptiones quorundam suorum subditorum in promovenda lue Sacramentaria, animadvertisset, ipsum reverè Præclarissimis Domini Parentis sui Augustissimi Augusti, vestigijs infixum, & dignas pœnas de Sacramentarijs clancularijs, ipsius ELECTORALEM CELSITUDINEM adeò nequiter circumvenientibus, dictaturum fuisse. Nec enim vel apice huc usq; demonstratum est, à Calvinianis, CHRISTIANI I flagellatoribus, ipsum à Lutheranà Evangelicà veritate, & Majorum suorum sanctà confessione recessisse: quin potius à nostris evidenter probatum, uti vitam, ita & mortem beatam Lutheranam Electoris fuisse, quàm prius ac obiret, ipsius Celsitudo, ut Heredes Filij Catechismo B. Lutheri ἐξδοδοξοτάτω erudirentur, pijsimè flagitavit, quem etiam se sincerè amplecti religiosè asseveravit: id quod non tantùm ipsius Personæ Illustrissimæ, sed & toti Electoratu Saxonico prænobile ornamentum fuit, ne nimirum ventosæ levitatis & inconstantia, etiam hostes, Fami-

Familiam istam ter Augustissimã, ter piissimam,
redarguere haberent. Quid obstat, quò minus
hanc ELECTORVM piã sapientiam, sapien-
tem pietatem, eximiamq; constantiam, in Acade-
miarum, Scholarum, Ecclesiarum instauratione,
conservatione, examinans, ex sanctissimo Pro-
pheta ingeminem: Notus in Saxonia DEVS est,
& in Electoratu hoc magnum nomen ejus; non
fecit taliter omni nationi? Quid obstat, quò minus
exinde dignitatem Electoratus novi augeri pro-
nunciem? Etsi enim hæc aliena sunt, & non pro-
pria ELECTORIS nostri facta; quin tamen he-
reditatis jura, encomia illa in ipsum, non secus ac
fons aquam in nascentem rivulum, demittant,
notius est, quàm ut probari; verius, quàm ut ne-
gari queat: præsertim si animis nostris infixã sit
ipsa ELECTORIS nostri MAGNIFICENTIA. Sicut
enim fortes creantur fortibus, & bonis boni, sicut
in juvencis, & in equis Patrum virtus est, nec
imbellem progererant Aquila Columbam: Ita
Magnifici Atavi, Proavi, Avi & Parentes ge-
nere Serenissimi, virtute, pietate, constantia lau-
datissimi, sibi similem heredem genuerunt, Illu-
strissimum & Celsissimum Principem CHRISTIA-
D 3 NVM

IV.
Ipsa ele-
toris ma-
gnificen-
tia.

NVM II, quem ELECTOREM totum Romanum Imperium salutat. Corpus & lineamentorum structura si quid afferre laudis Principi poterunt, ELECTORI nostro non sufferunt: videas enim quod certet in vultu ejus cum mansuetudine gravitas, cum gravitate hilaritas, cum hilaritate ingenuitas. Verum enim vero Magnificentiam suam Inclutus ELECTOR noster corporis crepidinibus concludi non patitur, jubet plenam virtutis & pie autoritatis pectus investigari. Investigate ergo, quotquot gratulabundi estis, investigate, & si bonum inveneritis, suspicite, ut quod tale maneat, Deum, sine cujus protectione durabile nil est, indefinenter sollicitate. Quod Simia est in bancho, Rex fatuus est in folio, inquit Bernhardus. Revolvens hoc Serenissimus noster ELECTOR à primis pueritiæ annis animum suum Illustrissimum sapientiæ studio diligenter mancipavit, nec à Deo tam Regnum, Imperium vel Thesuros, quam veram, piam sapientiã cum Salomone rogavit. Unde operà Beatissimi Domini Parentis; Illustrissimi item & Potentissimi Principis WILHELMI FRIDERICI Pro Electoratus munere fidelissimè defuncti, suos in disciplinis liberalioribus Moderatores

Ad Eugen.
lib. 1.

res habuit, quorum institutione justum inscientia-
 rum & Sipientia curriculo tempus exegit, ut jam
 maxima cum laude ad summa Imperij gubernan-
 cula **ELECTOR** ascendat. Cui vitiorum exput-
 trix, virtutum plantatrix, Ingenij excultrix **SAPI-**
ENTIA praerogato & auro plurimum adamata
 est. *Vae terra, cujus Rex Puer est? Bene terra, cu-* Eccles. 10.
jus Princeps Vir est! O bene terra nostrae Saxoni-
ca, quae sanè atate juvenè, at pietate, gravitate,
consilio, prudentiaq; solerti Virum Illustrissimum
habet. De Alphonso Arragonum Rege scribitur,
cum commemoraretur, aliquè Hispanum dixisse:
Non decere viros Principes literas scire; eum
statim exclamasse: bovis hac vox est, non ho-
minis. Credo ego, si quis Celsissimo nostro Prin-
cipi simile quippiam narraret, fortè non absti-
milem censuram audiret. Apud viros Prin-
cipes Omina nominibus saepè subesse solent:
*Imò maxime noster **ELECTOR** hoc precipue*
fatetur, qui ex Ethnico in Baptismatis saluber-
*rimum Sacramento **CHRISTIANVS** initiatus,*
CHRISTIANVS** nominatus, & **CHRISTIA-
***NVS** semper nominandus factus fuit. Hic*
pietatem Principis ego si predicare debeam,
 conti-

continua Antistitum ejus insurrectione opus ha-
beo; qui penitus Illustrissimum nostrum noverint,
hi sufficientibus verbis edissertare queant, qui in
ELECTORE singularis pietatis fervor, qui re-
ligionis vera orthodoxa Lutherana ardor; concio-
num & precum amor; qui erga Theologos since-
ros clementissimus favor; quod erga Papistarum,
apertorum & clanculariorum Calvinistarum
praecones odium generosissime reperiatur. Ipsi forte
parietes templi Electoralis Dresdensis pietatis con-
stantiam testari possent, quod nullus prope Sol mun-
do illuxerit, quin in locum sacrum, ad Divinam
Majestatem implorandam; ad salutaris doctrinae
dogmata percipienda accelerarit. Noverit forte
totus Electoratus aliqua Magnificentissima in-
dicia, quae Majorum Lutheranorum Electorum
& Principum Saxoniae Christianissimorum, reli-
gionis puritatem de nostro Serenissimo Domino,
Domino CHRISTIANO II, si non majorem,
parem certe, & nullo modo inferiorem pollicean-
tur. Digna haec laus Principe! Digna Magnifi-
centia Electore! Digna Praecellentia ELECTO-
RE CHRISTIANO! Nolo hic expatiari latius,
& illud uberius explicare, quod Minorennis
hactenus

hactenus ipsius Illustrissima Celsitudo constituta,
magnum quoque splendoris ornamentum exhibu-
it. Si enim praesse nescit, qui subesse non didicit,
quam bene praefuturum existimamus? quam ad
imperandum idoneum censebimus eum, qui tam
bene, tam sincerè, tam fideliter subesse didicit. Quod
cum Serenissimâ Dominâ Matre, Electorissâ
Viduâ, Tu testaberis, Illustrissime DVX FRIDE-
RICE VVILELME; quâ obedientia, & reve-
rentia se tibi ELECTOR noster Celsissimus subje-
cerit. Nolo accuratius persequi, quamvis meritò
factitare liceret, qui Animus Heroicus, Magna-
nimus, & verè Duci competens effulgeat; totumq;
Electorum jam jam conspicuū reddat. Mitto
in eo singularem morum suavitatē, alloquij gra-
vem comitatem, erga inferiores insignem Cle-
mentiam, erga pares justam Benevolentiam,
erga superiores debitam Reverentiam, quæ
omnia Catalogum praconiorum augere, nostri
ELECTORIS Magnificentiam extollere pos-
sent: ob temporis verò angustiam, ipsiusq; Prin-
cipis ingenuam modestiam reticenda sunt. Vnum
adhuc attingere libet, quod uti Electorum no-
vum splendidissimum reddit, ita publicæ, faustæ,
E pia

*Vtilitatis
communis
eminentia* pia acclamationis causam parit; Vtilitatis vide-
licet communis eminentiam. Sanè hætenus Sa-
xonie Pater fuit verè Fidelissimus, Inclutus &
Potentissimus Dominus, Dominus FRIDERI-
CVS WILHELMVS, cujus benignitas & Cle-
mentia non ad unum aliquem hominem, sed ad nos
omnes universos ac singulos uberrimè dimanavit,
ut quid ei, Regimini Pro Electorali valedicenti
applaudamus, præter hoc, non restet:

Inclute Saxonie, FRIDERICE WILHELME, Patrone,
Sub quo pax viguit; bella fuere procul:
Sub quo Pauperies sæpè est relevata miselli,
Sub quo Iusticie templa fuere propè:
Salve ter Princeps, Salve Celsissime, felix.
Ad tua, quod tentas moenia clara redi,
Fortunatus, prosper, comitatus acervo
Angelici, Domini qui venit ore, chori.
Sic Pietas, præclara Fides, Industria magna,
Quod meruere tibi, promeruere tibi.
Facta tua ô mancant felicia fata; beatus
Inq; Solo vivas, inq; polo mancas.
Lingua pij quotacunque etiam, & quæcunq; futura,
Ut tua sint fata hæc per pia vota cupit.
Annue de cœlis, excelsæ Monarcha, precanti:
Sicq; Solo atque Polo Pax, FRIDERICE, tibi est.

Hoc

Hoc inquam illi eximio Principi jure accini-
mus, sub quo pax aurea & justitia sacra florue-
runt, ita tamen floruerunt, ut cum traditione sce-
ptri ea quoque simul tradita esse non dubitetur. Quo
enim subditos suos Proelector animo, hoc clientes
suos ELECTOR noster favore, regere & admini-
strare pro summâ suâ Clementiâ intermittere ne-
quit. Gaude ergo, triumphâ, exulta Saxonia: vos
Theologi & verbi ministri, quos Saxonia dogmatis
laude fovet celeberrimos, & aliæ urbes vicinæ ha-
bent sincerissimos, vos inquam letamini; Si e-
nim Salomonem sapientem, si pium Ezechiam,
religiosum Iosiam, devotum Iosaphatum, Con-
stantissimum Constantinum desideratis, eum in
ELECTORE nostro habetis, & porro accedente
divinâ Clementiâ, ubi eam diligenti invocatione
petiveritis, habebitis. Non scetere faciet ille famam
Electoatus Saxonici, ut vel aperti vel clancula-
rij Sacramentarij, ceu lupi ovile vastantes, has
Ecclesias puras contaminent: nedum ut maledi-
cta Papisticorum Clericorû turba in nidis nostris
sustentanda sit: quin potius eum prædictorum Re-
gum Pietatem & Constantiam, uti hætenus, ita
in posterum sectaturû, vobis polliceamini. Erit ipse,

E 2

quod

quod sincerè singuli à Deo precemur; in retinen-
da, defendenda, asserenda Augustana Confessione
puriori, Anno 1530 Carolo V tradita, Iohannes,
Iohannes Fridericus, & Mauricius pijsissimi: erit
ille in sanctà Concordiæ Formula recipiendà, pro-
pugnanda, propaganda Augustus Augustissimus:
erit ille in doctrina Beati Megalandri Lutheritu-
enda Christianus Christianissimus:

————— Sic sic verè mirissima fors est
Imperij sub Rege novo; sic Principe dignum
Hoc opus, & nullo non concelebrabitur ævo;
Sic pia vota hominū tandem bona fata sequuntur.
Gaude, triumphas, Ecclesia afflictissima, cui tan-
tus Princeps, tantus Nutricius natus, tantus
CHRISTIANVS ELECTOR divino favore datus,
est: Ex uo metū ob tyrannidē Papistarum, frau-
des Calvinianorum conceptum: ex uo, & Princi-
pis nostri felicissima fata, singularemq; protectio-
nem spero, neq; spes fallat indesinentibus votis Ie-
hovam oro, imò misericordie promissione suffultus,
cum meis in hac acclamatione commilitonibus
exoro. Vos, qui vicarij ad rerum sedetis guberna-
cula, justiciæq; vel sacerdotes vel administratores
nuncupamini, jubilate: Vti enim Pium Electorē
colit Ecclesia, sic justum honorat Principem
Respub-

Respublica. Hic quia Principi ad Magnificentiam nihil amplius, ad sempiternam gloriam comparandam nihil aptius, ad incorruptam nominis claritatem nihil efficacius, quam justitia Sacramentum religiosissimum: quin in pio ELECTORE justum Principem, & Clementem Ducem habiturum sitis sine vestro dispendio dubitare nescitis. Bonis bona erit Clementia, malis severa erit justitia, nec, Deo bene juvante, patietur unquam, ut male pupillo judicetur, ut viduae causa supprimatur, orphanorum petitio defraudetur, sceleratorum nequitia pallietur. Habetis ergo de quo jure vobis gratulemini, nempe non Milesiorum Principem, hoc est injustum, impium, sed Saxonum ELECTOREM, hoc est, justissimum CHRISTIANVM, vestras habenas vobis commissurum: sed ut tanto hujus felicitatis certiores sitis, precum devotissimarum quotidianarum remedium adhibete. Triumphate Patres Academici Lipsiae & Vitebergae praestantissimi: exultate commilitones Scholastici: uti enim sub folijs uva tegitur; sub alis pulli gallina fovetur: ita sub Illustrissimi & potentissimi nostri ELECTORIS Clementissimo Patrocinio singuli defendemur, singuli sustentabimur.

Adest enim non privilegiorum ereptor sed erector,
non scholarum destructor, sed confirmator, non li-
terarum amator, sed amor: cui sapientiae studijs
nihil clarius, Gymnasiorum recta institutione ni-
hil carius, literatura politiori, nihil acceptabilius
esse potest. Latos vultus expromite omnes incolae
regionis hujus Saxonicae, humiliter pro Principe
vestro vota ad Dominum concipite, ELECTOREM
vestrum Serenissimum gratulabundi excipite, de quo
omnia, praeter inclementiam & injusticiam, si dili-
gentes preces ad Deum effuderitis, sperare habetis.
Non dixerit vobis Pater Patriae CHRISTIANVS
Celsissimus: Excipite ergo cum gratulatione, &
pia ad sacram Trinitatem invocatione, vestrae Pa-
triae ornamentum, Probitatis documentum, justici-
ae speculum, virtutis exemplum, sapientiae lumen,
laudis integritatisque sidus fulgentissimum; excipite
inquam CHRISTIANVM Illustrissimum, eiusque accla-
mate: Vivat Princeps CHRISTIANVS prosperri-
me, diutissime: beneque ac pie eum vivere faxit De-
us praepotentissimus; quod dum alios factitare vi-
deo, me tibi, Princeps Clementissime, humilime gra-
tulantem sisto, & anhelanti desiderio ad T. Celsitu-
dinem non docto, sed pio, sed humilimo versu sic in-
geminio: Quem



Vem columē terræ domini Clemētia fecit;
Quem patriæ clypeū subsidiumq; dedit:
ELECTOR! vitam felici transige fato;
ELECTOR! vitā transige sorte bonam;

Vt te Romanus veneretur Iupiter, ut te
Imperij Proceres ore decente colant;
Vt Pietas fulerum, possitq; Ecclesia fixum
Patronum adversis opposuisse suis.
Vt sacra justiciæ sacratæ templa virecant;
Vt viridi Rutâ terra virere queat.
Pauper, inops DUCE TE relevetur; & optima cuivis
Sit requies: Duce te sic cupio esse Cliens.

*Hæc ego; nunc universi in Panegyrico,
Commilitones, acclamate, conclamate, ELE-
TORIQ; nostro prosperum Regni exordium, feli-
cem successum, beatissimum exitum, manu, cor-
de, ore, votis & factis optate, Regem nostrum
pia humilitate & humili pietate, Magistratum
Saxonicum observantiâ, reverentiâ, obedientiâ
honorate: Sic Ecclesiæ & Reipublicæ tranquilli-
tatē experiemini: suo tempore quilibet beneficiâ
& premijs, justis pariter ac copiosis à Monar-
cha cæli, per ELECTOREM hujus terræ ter
Maximum, ter gratiosissimum afficiemini: Id
quod ut non tam spe, quàm ipsâ re eveniat;*

Tus

Precatio
Salomonis
Sap. 9.

Tu DEVS præpotentissime, Pater, Fili, et Spiritus
sancte benignissime concede, in cuius manus &
providentiâ terra nostra Princeps, totoq; cõmunis
salus & utilitas tutissime commendantur: Tu Ie-
hova mentes et corda potestatis & subditorũ rege,
guberna; Tu Deus Patrum nostrorũ, & Domine
,, misericordia, qui fecisti omnia verbo tuo, et sapien-
,, tiâ tuâ constituisti hominẽ, ut dominaretur crea-
,, tura, quæ à te facta est, ut disponat orbem terrarũ
,, in equitate & justicia, & in directione cordis ju-
,, diciũ judicet: Da ELECTORI nostro sediũ tuarum
,, assistricẽ scientiã, & noli, illum reprobare à pue-
,, ris tuis: Tu elegisti illum Principẽ & Electorem
,, populo tuo, & iudicem filiorũ tuorũ & filiarum.
,, Mitte Scientiam de cœlis sanctis tuis, & à sede
,, magnitudinis tuæ, ut cum ipso sit, et laboret, ut sci-
,, at quid acceptũ sit apud te. Scit enim scientia tua
,, omnia, intelligit, et deducet eum in operibus eius so-
,, briè, et custodiet eum in sua potentia: Et erunt ac-
,, cepta opera eius, et disponetur populus justè, et erit
,, dignus sediũ Patris sui. Fac hoc DEVS per miseri-
,, cordiã tuam, in nomine IESV CHRISTI, qui tecũ
,, & cum SPIRITV SANCTO vivit & regnat Deus
benedictus in secula seculorum; Amen.

BENE-

BENEVOLO LECTORI S.

Magni fuisset laboris, & præter Institutum nostrum, totam seriem Familiæ Saxonicae ex Witkindeâ stirpe oriundam attexere: Nec exiguæ operæ, si tantum Marchionatus Misnici genealogiam plenariam apposuissemus: Id quod aliud in tempus, si non mihi, alijs reservatum est. Iam duntaxat certis & gravibus de causis, placuit Ducum Saxonicae seriem attexere, à Friderico Strenuo, Primi Electoris Saxonicae, Friderici Bellicosi, Parente. Cumq; præter alios, hæc in parte eximius sit, Clarissimus Vir, Elias Reusnerus, Medicinæ Licentiatus, ipsius labore præclaro utentes fruente, ex opere Genealogico, Catholico, quæ de Electorum Saxonorum serie ibi tradidit, huc Appendicis & Auctarij loco, bonâ fide transtulimus. Nec dubitamus, quin aliquis non poenitendus fructus ad Lectores Candidos, & sinceros inde redundare queat, præsertim quia Volumen Reusnerianum comparatu cuivis non est ita vel facile, vel obvium.

Tu ergo Cordate Lector, si quid utilitatis inde ad te emergit, omne ad Electoratus Saxonici dignitatem referto, & Autori, ex quo transcripsimus, gratias debitas habeto.

B. V. & vota ad Deum pro salute Inclutæ Familiæ Saxonicae concipe indefinenter.

F FRIDE-

FRIDERICVS strenuus (Der Bestrenge) Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, & Dominus Franciae Montanae; Principibus, quos solus administravit annos XXV. cum Fratribus divis, terram retinuit Orientalem circa Landsbergam. In maxima apud omnes autoritate fuit: Carolum IV Imp: in bellis saepenumero iuvit: Albertum Brunsvigium, praedas per Turingiam agentem, armis pacem petere coegit: arces Eccersbergam, Friburgum, Dornburgum, latronum receptacula, evertit. Obijt VII Cal. Iunias A. C. 1380 Aldenburghi. Ultimus cum uxore in Veterocella tumultuatus.

Duces Saxoniae, Landgravius Turingiae, Marchiones Misniae.

FRIDERICVS Bellicosus; Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae; adolescentiam omnem in castris egit. Contra factonem conjuratorum, qui se stellares nominabant, ductu Barggravi Noribergij, militavit in Francia: Cum Conrado ordinis Teutonici Magistro, pro nominis Christi propagatione, in Borussia: Cum Guilielmo patruo Pragae obsedit in Bohemia. Domi rebus non satis pacatis, in Turingia Comites Schuarzeburgium, Heldrungensem, Honsteinium, licentia insolentes, compescuit: in Misnia Apollonium Vicethumum arce Cribesteino ad Middam eiecit: Bernhardum Anhaltinum pecunia multavit: Dietericum Quitezanum fortunis exiit: Bohemos Sigismundo Imperatori rebelles ad Brixiam superavit: arcem Carolosteinam obsidione liberavit. Ob quod fidele praestitum auxilium, primus in suo stemmate, non solum avitum Saxoniae Ducum titulum, qui passim ad alias familias, huic non agnatas, ab Imp. Saxonorum obitu evagatus erat, ad legitimos haeredes revocavit: sed etiam dignitatem aliam, Septemviralem nimirum, titulo suo Saxonico annexam, ab eodem Imp. Familiae suae acquisivit A. C. 1427. IIX Id: Februarij: quam, quoad vixit, contra invidiam virtute & felicitate strenue defendit & confirmavit. Ex hac vita emigravit Vveissenfelsae Prid. Non. Iannarij A. C. 1428, postquam Septemviratus dignitatem administravit quinquennium, demtis XXXII diebus. Aldeburghi sepultus: Heros Magnanimus, bellator strenuus; nec non Musarum Patronus, & omnium eruditorum Maecenas singularis: quippe, qui in tumultibus in Bohemia Musarum nidulos turbantibus, Academiam Pragensem Lipsiae suscepit: eiq; tutissimum hospitium concessit Prid: Id: Novembr: A. C. 1409. Vxor CATARINA Henrici Ducis Brunsvigij & Luneburgij F. decessit A. C. 1442, V. Cal. Iannarij: Misniae condita; Hoc conjugio quatuor nati Mares, femellae duae.

FRIDERICVS II. Cognom: Placidus (Der Gütige) Dux Saxoniae, Septemvir, Landgravius Turingiae, Marchio Misniae; conjun-
ctam

Etiam cum animi altitudine singularem habuit prudentiam, diu iactatus
varijs domi forisq; casibus. Pro Fratre Sigismundo Præsule Virciburgio
bellum feliciter gessit cum Francis. Vno anno tribus affectus cladibus
(semel namq; miles ipsius à Nissa, Silesiæ Nob: obsidione à Bohemis re-
pulsus: iterum prope Taucham in Osterlandia fugatus: ad Grymmam
verò in Misnia equitatus erat cæsus) ad ignominiam istam delendam,
armatâ manu in Bohemos movit: hostesq; uno prælio ad Satiim, altero
ad Selnitiam fudit: ducem eorum Sternbergium captum, Rochlicianæ
mandavit custodiæ. In eadem Bohemia Alberto Imp. militans, copias
dissipavit Polonicas: & Regis Casimiri legatum Ptasconem ad fugâ ade-
git. Baronis Gerani, cujus oppida Henricus Suarzeburgius depopulatus
fuerat, causam suscipiens, Guilielmum Fratrem, & Fridericum Bran-
deburgium, partis adversariæ studiosos, graviter in se concitavit: Unde
bellum civile exortû, quum Fratrum animi valde exulcerati, odys agri
& urbes flagrarent ignibus, unico ipsorum colloquio opinione citius se-
datum est: & pacis fundamenta Molhusiæ locata, Naumburgi confirma-
ta sunt. Vitam clausit Lipsiæ VII. Idus Septembr. A. C. 1464 ætatis suæ
LIII. completo cum diebus XV. Misniæ sepultus. Ex MARGARETA
Austriæ Archiducissa Friderici III. Cæsaris Germana, quæ diem obiit
postrid. Non: Februarij A. C. 1486 & Aldenburgi tumultata est, novem
tulit liberos.

ERNESTVS Dux Saxonie Elector, Landgravius Turingiæ,
Marchio Misniæ, natus Misniæ IIX Kal: Aprilis Hor: 9 Pomeridiana
A. C. 1441, Princeps bonitate, fortunis, liberis, gratia florentissimus:
consilio & autoritate gravitatē sibi apud omnes comparavit. Cum Fra-
tre Alberto (cum quo puer trium nobilium conspiratione nocte media
ex arce Aldenburgia fuerat raptus Anno Christi 1455, IIX Idibus Ju-
lij) à primis usq; annis vixit conjunctissimè: paci quamdiu vixit, & quan-
tum licuit, summè semper studuit: nemini, nisi coactus, bellum intulit.
Regulo namq; Plauensi Prodigo, in subditos injurioso, omniaq; sua consi-
lia susq; deq; facienti, bellum faciens: eo devicto, Plavam Voulandiæ ce-
pit: Olsnicium & Adorsum occupavit: sui juris fecit Vogburgum: Ri-
sebergum quoque & Doxam Bohemiæ expugnavit. Et quò filijs, altero
Magdeburgio, altero Moguntino Archiepiscopis administrationē red-
deret tranquilliozem: Quedlinburgum, Halam, Halberstadiū, Erphor-
diam, licentia nimium luxuriantes, partim armis, partim legibus co-
ercuit. Mathiæ quoque Corvini & Casimiri, Vngariæ, Poloniæq; Regum
copias à Germanorū cervicibus non tam armis quam prudentiâ arcuit.

Anno tandem ætatis XLV, quem mensibus quinque & biduo superavit, obiit in arce Choldicia à semet extructa, VII Kalend: Septembris: Misnæ sepultus A. C. 1486. Princeps optimus, Patriæ tutor, pietatis Corona, regni gloria. Ex ELISABETHA Boia, Alberti Monacensis filia, quæ Misnæ discessit, Lipsiæ verò in æde Paulina est tumulata A. C. 1484. Septem ipsi geniti sunt liberi.

FRIDERICVS III Sapiens à mentis sagacitate dictus, Dux Saxonie Septemvir, Landgravius Turingiæ, Marchio Misnæ, Burggravius Magdeburgi, natus Torgæ XV Kal. Februarij A. C. 1463 hora sesquiundecima post Meridiem: Princeps pietate & prudentiâ præstantissimus: justitia atque animi magnitudine nulli secundus: Sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurus, Legum Defensor, controversiarum finis, Imperij Romani Columna, Patriæ monumentum; morum speculum, Decus Principum, Disciplina Ducum, & juxta nomen suum Dives amator pacis; Ecclesiarum denique & Scholarum nutricius optimus. Quippe cujus non solum liberalitate Academia Vitebergensis Anno C. 1502 XV Kal: Novembris est constituta; facta postea veræ de Deo, & omnis elegantioris doctrinæ domicilium; omniumq; piarum in Germania Scholarum metropolis: Sed cujus quoque fortitudine repurgatores cælestis doctrinæ constanter sunt defensi. Bello Bavarico Philippum Palatinum, Cæsari Maximiliano reconciliavit; nec multò post plebem Erphordianã contra Senatum tumultuantem, placavit: Sexennio ante mortem à Senatu Electorum Imperio omnium dignissimus habitus, & in Regem Romanorum designatus: magno id sprexit animo: inq; Carolum V. suo suffragio transtulit. Lochaviæ (Nunc est Annæburgum) diuturnis calculi cruciatibus extinctus & γαμ. III Non: Maij A. C. 1525, quum annos vixisset LXII menses tres, dies duodeviginti. Primus Vitebergæ in templo arcis conditus.

IOHANNES Dux Saxonie, Septemvir & Ensiser Imperij, Landgravius Turingiæ, Marchio Misnæ, Burggravius Magdeburgi: cui nativa bonitas & pietas non fucata, & in vera doctrina perseverantia atque firmitas, Constantis & πρᾶξις cogn: peperit: puer quinquennis cum Fratibus inter fuisse scribitur expeditioni Patris Vratislaviensis, ad pacandam eam oram Germaniæ, quam tunc diu potentes & bellicosi Reges Mathias Hungarus, & Casimirus Polonus depopulabantur, susceptæ. Maximiliano I Imp. militavit in Pannonia, & Italia Transpadana: ubi in oppugnatione Albæ regalis inter primos ipsemet queque mœnia ascendit. Cum Fratre Friderico ita vixit, ut non solum perpetua fueri

fuerit ipsorum concordia, sed etiam mutuus amor: qui in utriusque senectâ,
periculis & gravissimis deliberationibus etiam crevit. In Comitibus Augu-
stæ celebratis A. C. 1530 fidei suæ & aliquot conjunctarum Ecclesiarum con-
fessionem Imperatori Carolo Quinto palam, constanter, excelso intrepidi-
doque animo exhibuit: à quâ nullo postea ille periculo aut terrore abduci
unquam potuit: Pios doctores summè semper fovit atque protexit: nec
ulla in re defuit ejus officium communi salutis Germaniæ. Placida tandem
morte expiravit in arce Schueinitz Idibus Sextilis A. C. 1532, Vite-
bergæ conditus in templo arcis, annos vixit LIII. dies XLV. Princeps
pientissimus & sanctissimus: parens ex binis conjugibus factus V libe-
rorum.

IOHANNES FRIDERICVS I Dux Saxonie Elector, Land-
gravius Turingiæ, Marchio Misniæ, Burggravius Magdeburgi: à tole-
rantia rerum adversarum Magnanimus cognominatus: Natus Torge
A. C. 1503 Prid: Calend: Iulij hora sexta pomeridiana: cruce aurei co-
loris in dorso fulgente fuit insignitus. Princeps vitæ morumque probitate
Laudatissimus: & inter Germanos opibus & potentiâ facile primus:
nutricius Ecclesiæ & Scholarum singularis: salutiferæ Euangelij doctri-
næ confessor constantissimus: Pater patriæ sanctissimus. Henricum Iu-
niorem Brunsvigium, fœderatorum auxilijs ditone ejecit: deinde eam
repetentem cum socijs Principibus ad deditonem adegit: Carolo V. Im-
peratori, Pauli III Pontificis instinctu Germaniæ bellum inferenti, in
Bavaria & Suevia fortiter resistit: Albertum Brandenburgium, & Chri-
stophorum Leuchtebergium, intercludere ipsum volentes, Rochlitz se-
curos & incautos cepit. Ad Mulbergam A. C. 1547 IX Kal: Maij pro-
aris & focus fortiter dimicans, iniquo Marte sauciatus, victoriq; Cæsari
traditus: Septemvirali dignitate spoliatus, libertate privatus, maxima
suarum ditionum parte exutus, captivusque ad Belgas abductus: ægrè
post quintum demum exilij annum dimissus est. In his ergo malorum pro-
cellis non succubuit: sed Heroico planè robore adversus omnes casus hu-
manos septus, tantoque Spiritu fuit munitus: ut pro divini Nominis glo-
ria, & salute suorum, minas mortis ab hostibus sibi intentatas, terri-
culamenta duceret anilia: & quo vehementius premeretur, eò magis e-
mergeret, seipso semper illustrior. Quibus omnibus malis exantlatis, in
patria tandem piè, sanctèque mortuus, verum obtinuit elogium Epitaphio
adscriptum, hoc modo: IOHANNES FRIDERICVS DEI BE-
NIGNITATS, ELECTVS MARTYR IESV CHRISTI,
DUX CONFESSORVM FIDEI, PRINCEPS AFFLI-
CTORVM.

CTORVM, COMES VERITATIS, SIGNIFER SANCTÆ
CRVCIS, HERES VITÆ ÆTERNÆ, MIGRAUIT EX
HAC MISERRIMA VITA IN COELEM PATRIAM,
ANNO REPARATÆ SALVTIS M. D. LII. TERTIO DIE
MARTII, VINARIÆ: Post SIBYLLÆ Iuliacensis, conjugis suæ
desideratissimæ, femine sanctissimæ fata, die undecimo: quinquagena-
rio major, mensibus octo, cum triduo. Nati autem hoc conjugio quatuor
Filij.

MAVRITIVS cognom: MAGNVS, DVX Saxonie septemvir
Landgravius Turingie, Marchio Misnie, natus Friburgi XII. Kal:
Aprilis A. C. 1521. hora 9. min. 34. post meridiem. Parente rebus hu-
manis feliciter exempto, ante annos animûmque gerens, curâsque viri-
les: Summa omnium ordinum gratulatione ditionis gubernationem ac-
cepit: Fratre Augusto vix dum quindecim annorum adolescente. Prin-
ceps fortissimus & bellicosissimus, vitæ gloriæ æmulus: ideoque meritò
cum ob ætatem, tum ob gubernationem & res maximas domi forisque
gestas, Alexandro Magno comparandus. Patris exemplo supersticio-
sos cultus, qui quod radices egerant, nondum planè extirpati erant
sustulit: Ecclesiis & Academiis conseruauit auxitque, tres eximios
ludos, vnum Misne ad Albim, Grimæ ad Muldam alterum, tertium Por-
tæ ad Salam instituit: Dresdam & Lipsiam splendide munuit, arces no-
uas extruxit, veteres restaurauit & ornauit. In Electorem agnatum,
orta de Vircina oppido controuersia, arma sumpturus, pacis consilia,
suadente socero Landgrauio, libenter admisit. In bello Vngarico ad Bu-
dam singulare virtutis documentum edidit: vbi in maximum vitæ dis-
crimen incidit: hostilis tamen violentiæ conatus euasit: vno fidelissimo
satellite supra eius corpus confosso. Carolo V. Imperatori contra Fran-
ciscum, Gallie Regem militauit ad Landresium: ad D. Victorinum de
hoste claram reportauit victoriam. Henricum Brunsvigium, socio suo
Landgrauio & agnato Electori arma subito inferentem, repressit: Bel-
lo Germanico grauissimo partes Imperatoris secutus, Saxonie septem-
vir in Castris ad Vitebergam est pronunciatus. Publicæ inde militiæ
Dux factus, Magdeburgum post XI V. mensium obsidionem, pacis con-
ditionibus datis, in potestatem redegit. Pro socero liberando bellum Im-
peratoris necessarium mouens: Alpium Rheticarum fauces occupauit:
Casaria tantum terrorem incussit, ut Oenipontem relinqueret, pacis

conditiones

conditiones Patavia acciperet. Atq; hoc demum. pacto pacem religioni,
libertatem captiuis Principibus, decus Germaniæ restituit. Rebus
compositis, eodem statim exercitu copijs Solymani Turcæ occurrens in
Vngaria: hostes solo nominis sui terrore intra præsidia continuit: In-
sulam Danubianam muniuit: cladis exitiosæ metum genti penè oppres-
sæ ademit. Alberto tandem Brandenburgico, armis & incendijs in patri-
am seuienti, propè arcem Peinam ad vicum Siffridhusium occurrens;
in cursu victoriæ bombardæ globo ad ilia trajectus, triduo post piè in
inuocatione Christi Mediatoris ex hac vita emigravit V. Id. Iulij A. C.
1553. Annos natus XXXII. menses tres, dies XXI. horas decem. Fune-
ratus Fribergi juxta Patrem, Vxor AGNES F. Philippi Comitis Pro-
uincialis Hassiæ, biennio post rebus humanis exempta pridie Non. No-
uembrijs, duorum duntaxat liberorum eum fecit parentem.

AVGVSTVS PIYS, DVX Saxonie ELECTOR, Marchio Misniæ,
Landgravius Turingiæ, Burggravius Magdeburgius, natus Prid kal.
Sextil. A. C. 1526. hora quinta, min. 38. ante meridiem. Adolescens
militauit in Gallia Carolo V. Imp. cum ad D. Victorinum, insignem de
Francisco Rege reportaret victoriam. Castra quoque Fratris secutus est
in Germania: post cuius fata, Imperij feuda successione & Imperato-
riâ auctoritate excepit III. Id. Sextil. A. C. 1553. quæ ei post annos trede-
cim vsitatâ & solenni ceremonia sunt confirmata à Diuo Maximiliano
II. Cæsare Augusto, Augustæ vindelicorum in Imperiali conuentu IX.
kal. Maij. Bellum Gothanum totius Imperij nomine, aduersus perduel-
les contumaces, feliciter confecit: latrocinio, quæ multis passim locis in-
ualuerant, seuerè coërcuit: Pacem Ecclesijs, à quibusdam malè turbatam
& opinionum varietate scissam, restituit, p̄os regj õµµα Imperij: Prin-
ceps non armis solum decoratus, sed & legibus armatus, vt vtrūque
tempus, tam bellorum quam pacis, rectè posset gubernare. Re-
bus tandem caducis relictis piè placidèq; ad æternam immortalis Dei
regiam cōmigravit III. Id. Februarij A. C. 1586. Hor. 9 post meridiem.
Sepultus Fribergi. Vitæ compleuit annos sesquisexaginta, dies vndecim,
horas sedecim. Princeps incomparabilis, Imperij columna, flos Europæ,
Pater patriæ, nutricius & altor Ecclesiæ, Musarum tutor, religionis
purioris vindex, iustitiæ & iuris assertor. Fuere in eius coniugio pri-
mum ANNA F. CHRISTIANI III. Regis Daniæ, quindecim liberorum
mater, defuncta kal. Octobris Anno C, 1585. Deinde AGNES HET-

nigis

VIGIS F. Ioachimi Ernesti Principis Anhaltini, ducta III. N. cn. Ianuarij A.C. 1586. quæ postmodò nupsit Iohanni Duci Holsatiæ,

CHRISTIANVS DVX Saxonie Septemvir, Landgravius Turingiæ, Marchio Misniæ, & Burggravius Magdeburgi: Princeps omnibus animi & corporis fortunæque bonis ornatissimus: natus III. Non. Novembris A. C. 1560. Hor. 4. ante meridiem: ex difficili morbo decessit Dresdæ VIII. Kal. Octob. A. C. 1591. ætatis suæ XXXI. nondum completo. Ex SOPHIA F. Iohannis Georgij Electoris Brandenburgij parens factus præter Filias, Filiorum superstitem.

CHRISTIANI II, Ducis Saxonie, Dignitatisque Septemviralis Heredis, jam Electoris, nati A. C. 1583. IX. Kal. Octobris, hora tertia matutina.

IOHANNIS GEORGII Ducis Saxonie, nati III. Non. Martij A. C. 1585. post decimam pomeridianam.

AVGVSTI, Ducis Saxonie, nati A. C. 1589. 7. Septembris.

Handwritten in blue ink: 10. 3. 11. 1589



Handwritten in blue ink: MC



Ja
æ,
ni-
No-
ffit
om-
ens
alis
er.
l.C.

ULB Halle

3

004 789 180



V077





27, 28 28



IM
RA
SER
MI PR
Archim
Misn
fr

Pia

M

Addit




Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



TO
ALEM
NTISSI
S, ROM. IMP.
e, Marchionis
rgi Burggra-
I D. Se-
cennis

*conscriptus
udinis*

IACO,

Marchionum Mis-
usque ad

lleri,

V^c
3111

